

næ sunt coæternæ, agit solum de magnitudine in hac distinctione, de potentia in sequenti.

Ad ostendendam ergo æqualitatem trium Personarum in magnitudine, tria facit. Primo, id ostendit ex eo, quod una Persona est in alia, et e contra. Secundo, ex remotione earum, quæ ad inæqualitatem faciunt. Tertio, ex veritate secundum, quam omnes Personæ vere sunt idem.

Circa primum. Pater non est major Filio, nec Spiritu Sancto vel e contra, quia tota essentia, quæ est in uno est in alio, et quæ est in tribus Personis, est in una, et e contra. Et hac ratione dicitur Pater esse in Filio, et Filius in Patre propter unitatem naturalem, qua una est trium Personarum substantia, ut ex Augustino, Hilario, et Ambrosio ibidem ostendit, qui hoc expresse dicunt.

Circa secundum, removet modos inæqualitatis a Personis, quia nec una Persona est pars essentiæ divinæ vel totius Trinitatis, nec essentia divina comparatur ad Personas, ut genus ad species, vel ut species ad individua, nec materia etiam, sicut si ex auro fierent tres statuæ, dicerentur omnes unum aurum, nec dicuntur unius essentiæ, sicut unius similitudinis aut complexionis. Non se habent, ut partes, quia Deus et Trinitas est summe simplex, et summe unum, non ergo constat partibus. Non est genus, vel species, quia alias tres Personæ dicerentur tres dii, sicut tres species animalis dicuntur tria animalia, et tria individua hominis tres homines. Non se habet ut materia, quia alias sicut plus auri est in tribus statuæ quam in una, ita plus deitatis esset in tribus Personis, quam in una. Non ratione similitudinis, quia alias sicut tres homines similes plus sunt quam unum, ita tres Personæ

plus Deus essent quam una. Contra hoc autem objicit Damascenum III fidei orthodoxæ, cap. VI, qui dicit substantiam esse quid commune, hypostases vero particulare, et quod hypostases differunt non natura, sed numero, ponitque exemplum in Patre, Filio, et Spiritu Sancto, Petro, et Paulo, etc. Respondetur Damascenum non accipere universale, et particulare in Deo, sicut in naturis creatis, sed ad instar; et similitudo stat in hoc, quod sicut natura prædicatur communiter de individuis, non vero unum individuum, ita natura divina prædicatur communiter de omnibus Personis, non una Persona de alia, tamen in divinis non multiplicatur natura sicut in creatis. Dicuntur autem Personæ differe numero, quia distinguuntur proprietatibus non naturis.

Circa tertium, probat æqualitatem Personarum ex veritate, quia non plus veritatis habet una Persona, nec verius est quam alia, vel quam omnes, in veritate autem hoc est unum quod esse, et hoc est esse, quod magnum esse, ergo ubi æqualiter veræ sunt Personæ, æqualiter magnæ sunt, et æqualiter sunt. Tandem ex hoc colligit, Deum posse dici trinum propter tres Personas, sed non triplicem, quia est summa unitas et æqualitas, triplicitas autem unitati et simplicitati opponitur. In creatis autem non tantum sunt tres Personæ, quam una, vel una quam tres, in Deo autem, quia infinitæ, et summe veræ tantum est una, quantum tres, vel e contra.

Circa hanc distinctionem, movet D. Thomas has præcipue difficultates. Primo, an in Deo sit æqualitas, et illa sit mutua. Secundo, quomodo una Persona sit in alia, de quibus etiam I p. quæst. XLII. Tertio, utrumque æternitas sit substantia Dei, et men-

sura, et quid sit nunc æternitatis de quo etiam I p. quæst. X. Quart, an in Deo sit universale, et particulare et totum integrale, de quo hic. Quinto, quid sit veritas, et an sint plures veritates æternæ, et quæ etiam I p. quæst. XVI.

DISTINCTIO XX.

In hanc distinctionem Magister agit de æqualitate Personarum ex parte Personæ. In quo tria facit. Primo, probat rationibus Augustinus Filium esse æqualem Patri in potentia, et similiter Spiritum Sanctum. Secundo, id explicat per similitudinem. Tertio, solvit objectionem hæretici.

Circa primum probat Augustinus quia Filius dicit: *Omnia quæ habet Pater mea sunt*, si ergo Pater habet omnipotentiam, et Filius minorem potentiam, ergo non habet omnia, quæ Patris sunt. Nec obstat, quod Pater a nullo accepit potentiam, Filius autem accipit a Patre, nam inquirimus, an tantam acceperit, quantum habet Pater, vel minorem. Si tantam, ergo æque omnipotens est; si minorem non ergo omnia, quæ habet Pater, habet Filius. Item, vel Pater non potuit æqualem Filium gignere, vel noluit, cum possit. Si primum fuit infirmus, et sic non omnipotens; si secundum, fuit invidus, quod dici non potest.

Circa secundum, explicat hoc exemplo, quia quicumque Pater vellet generare optimum Filium, et etiam si posset meliorem se, Deus autem non potest aliquid melius se, ergo saltem genuit Filium sicut se.

Circa tertium, objiciebat hæreticus. Pater a nullo est genitus, Filius autem a Patre, ergo eo ipso Pater est major Filio, quia non ab alio.

Sed respondetur quod hæc quæstio est originis non æqualitatis: quod enim Filius sit a Patre, Pater vero non ab alio, solum infert Patrem esse ingenitum, Filium vero genitum, et sic sola origine discerni: sed tamen quia eandem substantiam, quam habet Pater, tribuit Filio, summa æqualis est.

Circa hanc distinctionem difficultates movet D. Thomas. Prima, quomodo Filius sit omnipotens, et in eo æqualis Patri, potestque controversi, an per se procedat, ut Omnipotens, et ex cognitione possibilitatis de quo I p. q. XXXIV. Secunda, an sit ordo in divinis, sive originis, sive naturæ, de quo etiam I p. q. XLII, art. III.

DISTINCTIO XXI.

Occasione ejus, quod dictum est distinctione XIX, quod tantum est una sola Persona quantum tres, inquit de hac dictione solus, quomodo in divinis applicari possit. Et ponit tres quæstiones. Prima, quomodo dici possit, quod tantus est solus Pater, quantum tres Personæ, cum Pater nunquam sit solus, sed inseparabiliter cum Filio. Respondetur nominari solum Patrem non quia separetur a Filio, sed quia Filius non est Pater sicut ipse, et ita solus Pater est Pater, non tamen Pater est solus, id est, solitarius ab aliis. Secunda quæstio, an sicut dicitur, quod solus Pater, ita dici possit, quod solus Pater est Deus. Respondetur non posse dici quod solus Pater est Deus, neque ex parte prædicat quod Pater est solus Deus, alias excederet alias Personas, bene tamen, quod Trinitas scilicet Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus est solus Deus. Quod ibi confirmat ex Augustino, et in hoc sensu dicitur solus habet immortalitatem.

tatem, soli Deo honor, et gloria, id est, Trinitati. Tertia quæstio, quomodo dicatur etiam de Trinitate, quod solus Deus, cum associetur Angelis, et animabus sanctis. Respondetur non negari societatem creaturarum, sed excludi societatem deorum. Addit ultimo, quod etsi aliqua videantur dici de solo Patre, aut Filio, ut nemo novit Filium nisi Pater, aut de Patre et Filio omitendo Spiritum Sanctum, nunquam tamen excludi censentur, quia nunquam separantur, et ita uno nominato, alii reputantur nominari.

Circa hanc distinctionem movet difficultatem D. Thomas, quomodo utendum sit hac dictione exclusiva solus in divinis, sive ex parte subjecti, sive ex parte prædicati, sive in termino essentiali, sive in personali de quo etiam agit i p. quæst. xxxi.

DISTINCTIO XXII.

Explicatis hucusque divinis Personis, earumque processionibus, et æqualitate, incipit ab hac distinctione agere Magister de nominum diversitate quibus de Dei unitate, et Trinitate loquimur. Et de his agit per quatuor distinctiones hoc ordine. Primo, de nominibus ipsis tam quæ pertinent ad unitatem, quam quæ ad pluralitatem communiter. Secundo, in distinctione xxiii, de hoc nomine Persona specialiter. Tertio, distinctione xxiv, de nominibus pluralitatem designantibus distinctionem, vel unitatem. Quarto, in distinctione xxv, quomodo nomina pluralitatem designantia addi possint Personæ sine plurificatione substantiæ.

In præsentia ergo distinctione duo facit. Primo, distinguit varia Dei nomina. Secundo, accommodat quædam ad Personas, alia ad substantiam. Circa primum, assignat sex nominum differentias quæ dicun-

tur de Deo. Tria ex Ambrosio, nam quædam nomina sunt, quæ pertinent ad proprietates Personarum, ut generatio, Filius, et similia, quædam translative ut splendor, speculum, character, etc. Alia tria nomina adjicit Magister, nam quædam Deo conveniunt in tempore, et relative dicuntur ad creaturam, vel omnibus Personis conveniendo, ut Dominus, creator, etc. vel aliquibus, ut donatus, missus, etc. alia nomina collective dicuntur de Personis non sigillatim de aliqua, ut Trinitas. Alia denique dicuntur in tempore de Deo, sed non relative, ut esse incarnatum, humanatum, etc.

Circa secundum, distinguit quod ea, quæ singulas Personas pertinent relative dicuntur, ut Pater, Filius, etc. Quæ vero, unitatem essentiæ significant, ad se dicuntur, et substantialiter, et de omnibus communiter dicuntur. Quæ relative dicuntur substantialiter non dicuntur ex modo significandi, id est, non ad se. Quæ vero substantialiter, seu ad se dicuntur, non multiplicantur, sed singulariter dicuntur. Unde tres Personæ non dicuntur tres dii, sed unus Deus, non tres omnipotentes, aut magni, sed unus omnipotens, et unus magnus; nec similiter tres magnitudines, vel essentiæ, nec enim magnitudo est aliud quam essentia, nec ipse est participatione aliqua magnus, sed substantialiter, sicque non dicuntur tres magni; et idem est de æternitate, bonitate, etc.

Circa hanc distinctionem, movet S. Thomas has difficultates. Primo, an Deus sit nominabilis. Secundo, an habeat aliquod nomen proprium. Tertio, an pluribus nominibus sit nominabilis, ubi etiam de distinctione attributorum agi potest, an distinguantur ratione nostra, vel non, de quo agit supra distinctione ii. Et de nominibus Dei videri potest i p. quæst. xiii. Item, an nomina ab-

soluta sint multiplicanda in divinis adjective; an aliqua etiam substantive, ut res, existentia, sanctitas, etc. de quibus i p. q. xxxix. art. iii. Et de sanctitate iii p. q. vii. agunt interpretes.

DISTINCTIO XXIII.

Agit in hac distinctione specialiter de hoc nomine persona, eo quod hoc nomine persona substantialiter dicitur, et tamen multiplicatur, quia dicimus esse tres Personas, quod videtur contrarium, determinatione facta præcedenti distinctione, quod ea, quæ relative dicuntur ad Personas, et substantialiter non dicuntur. Et quod persona secundum substantiam dicatur, probat ex Augustino, de Trinitate dicente: « Cum dicimus Personam Patris, non aliud dicimus, quam substantiam Patris. » Propter hoc tria facit in hac distinctione. Primo, quærit cur non dicantur tres Personæ una persona, sicut una essentia. Secundo, cur non dicantur tres dii, vel tres essentiæ. Tertio, quomodo illa nomina singularitas, unitas, Trinitas, distinctio, identitas, possint dici de Deo.

Circa primum, respondet ex Augustino, vii de Trinitate, quod dicuntur tres Personæ, et non una Persona, quia quælibet ex illis Persona est, nec habemus quo significetur illud in quo sunt tres, nisi Personæ, in hoc enim quod est esse personas omnes tres conveniunt, licet verum sit quod persona dicatur secundum substantiam, sumendo substantiam pro subsistentia, et hypostasi, non pro usia, seu essentia, quæ est natura, ut infra, distinctione xxv dicitur.

Circa secundum, respondet ex Augustino non tres deos, licet sint tres Personæ, quia Scriptura expresse contradicit, dum tantum po-

nit unum Deum, esse autem plures Personas Scriptura non contradicit, sed potius affirmat et judicat. Tres essentias non dicimus, sed unam essentiam, quia essentia pertinet ad naturam, et summam illam unitatem in qua non est diversitas, unitas autem personæ non pertinet ad naturam, et ad absolutam substantiam, sed ad id quod sunt in quantum tria.

Circa tertium, docet quod non est dicendus Deus singularis, nec diversus, nec unicus, vel solitarius, nam singularitas vel solitudo, tollit pluralitatem Personarum, diversitas autem indicit inæqualitatem, et divisionem, idque probat ex Hilario, Ambrosio, et Augustino; personæ enim distinctionem habent, non separationem; quod indicat ly diversus, est tamen Trinitas, unitas, distinctio in Personis, identitas in natura. Non tamen dicendus est multiplex, quia hoc importat quamdam inæqualitatem, seu diversitatem.

Circa hanc distinctionem inquirat D. Thomas. Primo, quid sit persona, hypostasis, substantia, essentia. Secundo, an persona detur proprie in Deo. Tertio, an significet substantiam, vel relationem, et an prædicetur pluraliter in divinis, de quibus etiam i p. qu. xxix. Et videri etiam possunt interpretes iii p. q. ii.

DISTINCTIO XXIV.

In hac distinctione explicat Magister, quid significetur in divinis per verba importantia unitatem, vel numerum, vel distinctionem, ut duo vel tria, trinus vel trinitas, supposito quod ut diximus non est in Deo diversitas, nec singularitas, aut multiplicitas. Et sic tria facit. Primo, ponit conclusionem generalem circa ista nomina. Secundo, explicat eam discurrendo per om-

nia illa. Tertio, solvit objectionem quamdam.

Circa primum, conclusio Magistri est, quod omnia ista nomina unitatem, vel pluralitatem dicentia magis verificantur ratione removendi, et excludendi a simplicitate Dei, quam aliquid ponendi.

Circa secundum, explicat hoc discurrendo per singula. Dicitur enim unus ad excludendum numerum deorum, non ad quantitatem ponendam. Dicitur plures Personæ ad excludendam singularitatem, sive solitudinem non ad ponendam multipliciter et diversitatem. Et cum dicimus tres Personas non quantitatem numeri ponimus, sed non tantum esse unam, vel duas significamus: et cum dicitur Pater et Filius sunt duæ Personæ, non tantum Patrem esse Personam, nec tantum Filium significamus. Cum autem dicimus distinctas, seu discretas esse Personas et in eis distinctionem esse, confusionem, seu permixtionem excludimus, et hanc non esse illam significamus. Et cum dicitur Trinitas, idem significatur quod cum dicitur tres Personæ, quia non una sola Persona est Trinitas, sed omnes simul.

Circa tertium, objicit auctoritatem Isidori dicentis quod in Deo est unitas multiplex, et singularis. Respondetur quod accipit ly singularem pro uno, et ly multiplicem pro trino.

Circa hanc distinctionem, inquit primo D. Thomas, an Deus sit unus et quid sit unitas in eo, de quo i p. qu. xi. Secundo, an in Deo sit numerus et an ponat aliquid positivum in Deo vel solum negativum, de quo etiam i p. qu. xxx. Tertio, an in Deo sit diversitas et quomodo de illo dicatur Trinitas, de quo etiam i par. q. xxxi, art. 1.

DISTINCTIO XXV.

In hac distinctione inquit Magister, an pluralitas Personarum, ut cum dicitur tres Personæ, duæ Personæ, illa est Persona Patris, alia Filii, etc. intelligantur plures essentia vel substantia nomine Personarum, vel quid aliud. Et circa hoc facit quatuor. Primo, proponit rationem dubitandi, et opiniones. Secundo, resolvit difficultatem. Tertio, respondet objectionibus. Quarto, proponit difficultatem quamdam, qua totam quæstionem magis explicat.

Circa primum, ratio dubitandi est quæ jam supra fuerat insinuata, distinctione xxiii, quia persona secundum substantiam dicitur ad se, et idem est in Deo esse, et personam esse, ut Augustinus docet, ergo multiplicatio Personarum et multiplicatio secundum substantiam, et sic cum dicitur alia est Persona Patris, alia Filii, etc. idem est quod alia substantia, etc. Item quia ideo dixit Augustinus recte dici tres Personas, quia quærentibus quid sint tria, respondetur Personæ; sed ly quid quærit de essentia, seu substantia, ergo sunt tres essentia, seu substantia. Unde aliqui dixerunt nomine personæ significari essentiam, et sic cum dicitur Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus sunt tres Personæ, sensus est sunt tres habentes id quod est commune, scilicet Personam quæ est essentia. Sed quomodo tunc verificetur quod alia est Persona Patris, alia Filii, non apparet, nisi dicendo quod alia essentia, seu substantia Patris, et Filii, quod admitti non debet.

Circa secundum supponit Persona dici quidem secundum substantiam, sed tamen substantiam dupliciter accipi apud Latinos. Uno modo pro

natura, alio modo pro hypostasi, seu subsistentia qua ratione accipitur apud Græcos. Et cum Personæ dicuntur tres secundum substantiam, non multiplicatur substantia pro natura, sed pro hypostasi quasi tres subsistentia, seu subsistentes. Et ita juxta Augustinum tres Personæ non sunt tres essentia, sed unius essentia, seu una essentia, tres autem Personæ, id est subsistentia, quæ secundum substantiam dicuntur.

Circa tertium, cum quæritur quid sint illæ tres Personæ, nec invenitur aliud quam essentia. Respondetur quod non sunt unum nisi essentia, sunt tamen tres Personæ, id est, hypostases, seu subsistentia. Et cum instatur, quia dicimur esse tres res, respondetur esse tres sicut Augustinum dicit in i de doctrina christiana, et tamen sunt una summa res, quia sunt una res, quæ est essentia, et tres res, quæ sunt Personæ.

Circa quartum, inquit an secundum eandem rationem dicatur alia est Persona Patris, alia Filii, vel alius est in Persona Pater, alius in Persona Filius, etc. Respondetur sensum esse, alia est hypostasis Patris, alia hypostasis Fili, seu subsistentia; et similiter alius est secundum proprietatem personalem Pater, et alius Filius in proprietate sua, et sic etiam potest intelligi, quod alia est Persona Patris, alia Filii, id est, alia proprietas, et ita nomine Personæ, aliqui proprietates intelligere volunt cum dicuntur tres Personæ, melius tamen intelliguntur subsistentia, seu hypostases; et quod substantia sic aliquando accipitur pro essentia, aliquando pro subsistentia, seu hypostasi, ostendit ex auctoritate sanctorum, præsertim Hieronymo et Augustino.

Circa hanc distinctionem movet D. Thomas difficultates. Primo, quid

sit persona, de quo etiam i p. quæst. xxix et iii p. quæst. ii. Secundo, an dicatur univoce de Deo et creaturis. Tertio, an persona sit communis tribus Personis, de quo etiam q. xxix citat. Quarto, an tres Personæ sint tres res, ubi etiam, quæ attributa multiplicentur in Personis, existentia: an sanctitas, v. g. an sint tres existentia relativa de quo tractari solet i par. quæst. xxviii; an tres sanctitates de quo iii p. q. vii circa sanctificationem Christi.

DISTINCTIO XXVI.

Ab hac distinctione post tractatum de essentia, et Personis, incipit Magister agere de proprietatibus Personarum. In quibus explicandis tali ordine procedit, quod primo, agit de proprietatibus Personarum, quæ sunt personales, id est, constituunt Personas, in hac, et sequenti distinctione. Secundo, de proprietatibus Personarum, sed non personalibus, ut ingenuus, et similia, distinctione xxviii. Tertio, de hac proprietate principii quæ potest esse non unius Personæ tantum, sed duarum, ut de spiratione activa, distinctione xxix. Quarto, de nominibus ex tempore convenientibus Personis ut datum, donatum, creator, Dominus, etc. distinctione xxx. Quinto, de proprietatibus per appropriationem convenientibus, ut quod Patri attribuat unitas, Filio æqualitas, etc. distinctione xxxi et xxxii. Sexto, comparat ipsas proprietates ad Personas, et ad essentiam, distinctione xxxiii et xxxiv.

In hac ergo distinctione agit de proprietatibus personalibus secundum se, et in sequenti de variis nominibus relative dictis Personas ipsas significantibus. Et facit quatuor in hac distinctione xxvi. Primo, supponit quid sit hypostasis. Secundo,

distinguit et explicat proprietates personales. Tertio, determinat quasdam difficultates circa notionem Filii. Quarto, determinat alias circa nomen Spiritus Sancti.

Circa primum, admonet Magister ex Hieronymo hoc nomine hypostasis tamquam æquivoco abusos hæreticos, aliquando enim pro essentia, seu usia, aliquando pro substantia, seu persona sumebant. Et in hoc secundo sensu a catholicis admittuntur tres hypostases, in primo negantur, sicque cum hæreticis illis distinctione utendum est.

Circa secundum, assignat proprietates personales quæ relationes sunt, et notiones, scilicet Pater, Filius, et Spiritus Sanctus quæ Augustinus libro de fide ad Petrum assignat dicens, quod aliud est genuisse, quam natum esse, aliudque procedere, quam genuisse et natum. Nec tamen istæ relationes sunt accidentia, quia ut constat ex Augustino in v de Trinitate quædam dicuntur de Deo secundum substantiam, quædam secundum relationem, nil tamen secundum accidens, nihil enim in Deo mutabile est.

Circa tertium, proponit difficultatem quomodo sit notio, et proprietas secundæ Personæ quod sit Filius, vel genitus, cum etiam homines dicantur Filii Dei, secundum illud: *Filii excelsi omnes*. Respondetur omnes dici filios Dei per gratiam, et adoptionem, Verbum autem naturalis nativitatis proprietate, unde non solum homo est Filius Patris, sed totius Trinitatis cuius est adoptare.

Circa quartum, docet Spiritum Sanctum proprietate suæ processio- nis dici donum, aliter alia etiam sint dona Dei sed Spiritus Sanctus est donum proprietate immutabili, et æterna, magisque relucet relatio ejus in hoc nomine donum, quia

donum de se ad donantem refertur, at vero in hoc nomine Spiritus Sanctus non relucet relatio, nam etiam substantialiter dici potest Deus esse Spiritus, et esse sanctus. Unde si quæretur, an etiam ipsa Trinitas, et Pater, et Filius sint Spiritus Sanctus, respondetur posse quidem dici, sed tunc non sumetur Spiritus Sanctus relative pro ipsa communione Patris, et Filii, sed sumetur substantialiter, pro eo quod est Spiritus, et quod est sanctus. Objiciunt tamen aliqui quia Spiritus Sanctus si diceretur relative, sicut dicitur Spiritus Filii, et Patris, ita Pater diceretur Spiritus Sancti Pater, et Filius, Spiritus Sanctus Filius, quia relativa ad controvertentiam dicuntur. Sed respondetur non omnia relativa esse talia, quod eidem vocabulo sibi invicem respondeant, ut sicut hoc dicitur illius, ita e converso.

Circa hanc distinctionem movet D. Thomas difficultatem circa hypostases, an sint in divinis, et, an in remotis proprietatibus maneant hypostases distinctæ de quo etiam i p. quæst. XL, art. III. Secundo movet difficultatem de proprietatibus et relationibus, an relationes in divinis sint aliquid et distinguantur ab essentia, de quo i p. quæst. XXVIII, et de numero notionum, an sint quinque, de quo i p. quæst. XXXII, art. III.

DISTINCTIO XXVII.

In hac distinctione determinat Magister de variis nominibus, quibus proprietates personales designantur. Et facit quatuor. Primo, comparat proprietates personales quas assignat Hilarius, scilicet Pater, Filius, et Spiritus Sanctus cum his quas assignat Augustinus, scilicet genuisse, natum esse, et procedere, et quomodo conveniant, et differant. Secundo, relationum nomina

designat. Tertio, designat alia nomina, quæ relative dicuntur, et easdem proprietates personales designat, ponitque regulam generalem eorum, quæ ad se, et quæ relative dicuntur. Quarto, dubitationem quamdam resolvit.

Circa primum, docet non esse proprietates diversas secundum se, licet non omnino idem significent. Non sunt diversæ, quia tam proprietas Patris est, esse Patrem, quam genuisse, generare enim est proprium Patris, et tam proprium est Filii esse Filium, quam esse genitum. Non omnino sunt idem, quia Pater, et Filius sunt nomina hypostasis, generare vel generari, actionis, et passionis.

Circa secundum, assignat vocabula relationum, quæ sunt paternitas, filiatio, processio, gignere, gigni, procedere, quæ sic in abstracto non significant hypostases, sed relationes. Et istæ proprietates faciunt Personas differre ab invicem, sed non separari, et recedere seu distare, ut ex Damasceno probat.

Circa tertium, ostendit hæc nomina, genitor, genitus, verbum, imago, etiam relative dici, quia imago non ad se dicitur, sed alicujus est; similiter et verbum, loquentis est; genitor autem, et genitus se habens sicut Pater, et Filius. Et sic ponit regulam generalem eorum quæ ad se, et eorum quæ relative dicuntur, quod quidquid ad se dicitur, non est alter sine altero, sed ambo simul idem sunt, sicut Pater, et Filius ambo sunt Deus, sed non ambo Pater, et ita Pater ad se non dicitur.

Circa quartum, ponit dubitationem de illa propositione Deus de Deo, lumen de lumine, an secundum relationem dicuntur, vel secundum substantiam? Respondetur illa esse nomina substantiæ, sed supponere, seu accipi pro Personis

ex vi illius locutionis de alio. Nec tamen dicitur Verbum de Verbo, Filius de Filio, sicut Deus de Deo, quia illa nomina diversis Personis convenire non possunt, sed eidem, Deus autem utrique Personæ convenit.

Circa hanc distinctionem, primo inquit D. Thomas, utrum origines, seu operationes præcedant Personas, vel e contra, de quo etiam i p. quæst. XL, art. II. Secundo, utrum Verbum dicatur personaliter; an essentialiter in divinis. Tertio, utrum Verbum procedat per se, et importet respectum ad creatas, de quibus etiam agit i p. quæst. XIV.

DISTINCTIO XXVIII.

In hac distinctione agit Magister de proprietatibus, quæ non constituunt Personas, ut ingenitus, seu innascibilis, quod convenit Patri, et imago, seu verbum, et sapientia genita, quæ conveniunt Filio. Duo ergo principaliter agit in hac distinctione. Primo, de ipsa innascibilitate, quæ est proprietas Patris. Secundo, de imagine, verbo, et sapientia genita, quæ conveniunt Filio.

Circa primum, docet de hac proprietate innascibilitatis, et quod distinguatur a notione paternitatis, et quomodo soli Patri conveniat, non Spiritui Sancto et quomodo esse ingenitum, et genitum non inducat diversitatem substantiæ sicut Ariani arguebant, sed solum diversitatem notionis qua Pater diversus est a Filio. Distinguitur notio ingeniti et Patris, quia Pater dicitur positive, ex eo quod habeat Filium, ingenitus negative, eo quod non habeat principium a quo sit. Unde ingenitus relative dicitur, non positive, sed negative, dicitur enim per ordinem, ad genitorem a quo non est. Convenit autem soli Patri, et non Spiritui Sancto quia licet Spiritus

tus Sanctus sit non genitus sumpto non genito pro non Filio, non tamen sumpto ingenito pro omnino innascibili, id est, carente omni principio. Quod vero non sint diversæ naturæ genitus, et ingenitus constat ex dictis, quia solum pertinent ad notionem non ad naturam, licet Ambrosius noluerit uti hoc nomine ingenitus propter improbitatem hæreticorum, et quia non inveniebatur in Scripturis. Sicut autem non est idem genitus, et ingenitus, ita non est idem, sed diversum Pater, et Filius, scilicet notionem non essentia, licet concedi non possit, quod Patrem esse, diversum sit, quam Filium esse, significaretur enim diversitas in esse.

Circa secundum, docet, quod licet sapientia absolute dicatur non relative, et imago aliquando pro essentia, seu tota Trinitate sumatur, ut cum dicitur homo factus ad imaginem Dei, tamen si dicatur sapientia genita, seu nata, idem est, quod Verbum, et tam Verbum, quam imago relative dicuntur ad suum principium, et sapientia nata, quæ est idem, quod Verbum ad suum genitorem.

Circa hanc distinctionem inquit D. Thomas, in quo consistat innascibilitas, et quomodo sit proprietas Patris, et, an sit personalis, id est, Persona constituens, de quo etiam 1 p. quæst. xxxiii art. iv. Secundo, an imago, et verbum dicantur essentialiter, vel personaliter in divinis, et, an sola Filio convenient, de quo 1 p. quæst. xxxiv et xxxv.

DISTINCTIO XXIX.

In hac distinctione agit Magister de hac proprietate, seu notionem principium, quod potest convenire, et uni, et duabus Personis; uni ut Patri convenit esse principium Fi-

lii; duabus, sicut Patri, et Filio convenit esse principium Spiritus Sancti. Et facit duo. Primo, ostendit in genere, quomodo ratio principii dicatur in divinis, et quomodo Pater sit principium relative ad Filium, et uterque ad Spiritum Sanctum. Secundo, an Pater, et Filius eadem notionem sint principium Spiritus Sancti.

Circa primum, ostendit omnibus Personis convenire rationem principii, quæ utique, relative dicitur, principium enim, alicujus principium est, sed differenter. Nam Patri convenit esse principium Filii generatione. Patri et Filio convenit esse principium Spiritus Sancti processione, seu spiratione. Spiritui Sancto convenit esse principium creaturarum, simul cum aliis Personis, creatione. Et quidem Patri ad Filium, et utrique ad Spiritum Sanctum convenit esse principium ab æterno, quia ab æterno producant, sed respectu creaturarum convenit esse principium in tempore, quia creaturæ in tempore processerunt. Nec tamen tres Personæ sunt tria principia creaturarum, sed unum, quia uno, eodemque modo, id est, eadem omnipotentia sunt principium creandi, et ita sunt unus creator, quod ibi ex verbis Augustini probat. Similiter Pater est principium Filii generando ipsum; et Pater et Filius sunt principium Spiritus Sancti spirando ipsum.

Circa secundum, ostendit in primis Patrem, et Filium esse unicum principium Spiritus Sancti seu unum spiratorem, sicut est unus creator, quia eadem voluntate, et spiratione procedit ab eis. Sed tamen admonet ex Hilario, quod licet Filius sit a principio, seu origo ejus a principio, non tamen ipse habet principium, id est, initium, quia ab æterno. Respectu ergo Spiritus Sancti, Pater, et Filius unum princi-

pium sunt. An vero unica notionem, seu relationem ipsum respiciant? Respondetur eadem relationem, seu notionem referri, quam notionem proprio nomine non nominamus, sed scimus non esse paternitatem, nec filiationem, sed aliquid commune, scilicet spirationem activam.

Circa hanc distinctionem inquit D. Thomas, primo, an una Persona sit principium alterius, et, an dicatur univoce ratio principii de Deo, et creaturis, de quo etiam 1 p. quæst. xxxiii, art. i. Secundo, an Pater, et Filius sint unum principium Spiritus Sancti unus spirator, et una relationem ipsum respiciant, de quo etiam 1 p. quæst. xxxvi, art. iv.

DISTINCTIO XXX.

In hac distinctione agit Magister de his nominibus, quæ Deo attribuuntur in tempore, et non ab æterno, ut esse creatorem, esse Dominum, esse donatum, etc. Et facit tria. Primo, proponit conclusionem suam ostendens quædam nomina dici temporaliter de Deo. Secundo, solvit quamdam objectionem. Tertio, difficultatem quamdam supra distinctionem xviii positam hic resolvit.

Circa primum, docet quædam nomina dici de Deo ex tempore, quæ relationem aliquam important, ut creator, Dominus, etc. quæ ad creaturam dicuntur cujus Deus est creator et Dominus, nec tamen mutationem aliquam ponunt in Deo, sed in ipsa creatura, quæ de novo incipit, et sic Deus de novo denominatur illam creare, vel ei dominari, aut illi donari.

Circa secundum, ponit objectionem, quia saltem ipsum tempus non incipit in tempore, et tamen Deus etiam est Dominus temporis, ergo potest dici Dominus respectu alicu-

jus, quod non incipit in tempore. Respondetur sufficere quod tempus de novo incipiat, licet non in alio tempore, ut ipsius ex tempore incipiat esse Dominus. Et quod negari non possit Deo de novo convenire, seu accidere istas denominationes relativas, sine mutatione tamen Dei, manifestat ex Augustino quia aliæ res præter tempus sine dubio in tempore incipiunt, et Deus non potest dici Dominus nisi respectu subjectorum, ergo in tempore incipit illa denominatio, non quia illi accidat aliqua mutatio, sed quia nobis accidit de novo.

Circa tertium, difficultas supra tacta erat, an cum Spiritus dat se ipsum creaturæ, referatur ad se, quia omne datum relative se habet ad dantem, et ad id cui datur. Respondetur Spiritum Sanctum dici datum relative ad dantem, scilicet ad totam Trinitatem, quæ est Deus, et ad eum cui datur, respectu vero sui, cum dat se ipsum non se habet relative relationem reali.

Circa hanc distinctionem inquit D. Thomas. Primo, utrum aliquid possit de Deo dici ex tempore, et, an significant ista nomina divinam essentiam, de quo etiam 1 p. quæst. xiii, art. vii. Secundo, an relationes de Deo sic dictæ realiter sint in Deo; an solum in creatura de quo quæst. vii, de potent. art. x; an vero aliquæ relationes rationis possint de Deo dici ab æterno infra inquiretur; videri tamen possunt, quæ dicuntur de ideis 1 p. quæst. xv et xiv, art. xvi de invariabilitate divinæ scientiæ, et 1 p. quæst. xix, agendo de relationem rationis actuum liberorum in Deo.

DISTINCTIO XXXI.

In hac distinctione agit Magister de nominibus quibusdam, quæ sunt